



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

XVII. Sæculum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

209. Innocentius VIII. Genuensis.

210. Alexander VI. Borgia Valentinus Hispanus.

XVI. Saculum.

211. Pius III. Senensis.

212. Julius II. Savonensis.

213. Leo X. Florentinus.

214. Hadrianus VI. Trajectensis Flander.

215. Clemens VII. Florentinus.

216. Paulus III. Farnesius Romanus.

217. Julius III. Aretinus.

218. Marcellus II. Politianus.

219. Paulus IV. Neapolitanus.

220. Pius IV. Mediolanensis.

221. Pius V. Alexandrinus, Ordinis Prædic.

222. Gregorius XIII. Bononienfis.

223. Sixtus V. ex Marchia Anconitana.

224. Urbanus VII. Romanus.

225. Gregorius XIV. Mediolanensis.

226. Innocentius IX. Bononienfis.

227. Clemens VIII. Florentinus.

XVII. Saculum.

228. Leo XI. Florentinus Medicæ.

229. Paulus V. Romanus.

230. Gregorius XV. Bononienfis.

231. Urbanus VIII. Florentinus.

232. Innocentius X. Romanus.

233. Alexander VII. Senensis.

234. CLEMENS IX. Pistorienfis, qui feliciter regnat.

126. Circa adductum Summorum Pontificum Catalogum, quatuor breviter observanda sunt. Primum est, ex ducentis triginta quinque Pontificibus recensitis, triginta quinque fuisse Martyres, & triginta septem Confessores, Sanctorum catalogo adscriptos. Secundum, quinquaginta duo è diversis Religioforum Ordinibus ad Pontificiam dignitatem, virtutis merito, fuisse evectos. Tertium, quatuordecim ex illis fuisse ex Gallia, quatuor ex Hispania, quatuor ex Germania, unum ex Anglia, unum è Belgio, quindecim ex Græcia, septem ex Syria, tres ex Africa, duo ex Sardinia; ceteros verò omnes, aut patriâ Romanos, aut natione Italos fuisse. Demum observandum est, nullum ex illis ducentis triginta tres Pontificibus, huc usque exæquasse dies Petri; imò aliquos fuisse, qui nec integrum mensem, sed nec hebdomadam unam Pontificatus compleverint. Nam Stephanus II. diestantum 4. in Pontificatu vixit, Urbanus VII. dies 7. Bonifacius VI. dies 15. Cælestinus IV. dies 17. Siffricius dies 20. Marcellus II. dies 21. Damasus II. dies 23. Pius III. dies 26. Leo XI. dies 27. Cujus rei piæ & egregiæ assignat rationem Petrus Damianus opusculo 23. cap. 1. ubi Alexandrum II. sic alloquitur: Aliquando à me sollicitè requisisti, quæ mihi causa videretur, cur Apostolica Sedis Antistes nunquam diutius vivat, sed intra breve temporis spatium diem claudat extremum, adeò ut post B. Petrum Apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra præsedet, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spatium præfulatus æquaverit: modernis imò temporibus, vix quispiam in prædicta Sedis culmen erebitur, qui metam quatuor, vel ut multum, quinque transcendat annorum? Quod considerantibus prodigialis, ut ita loquar, stupor oboritur.

A. quoniam hæc breviter vivendi necessitas, quantum ad nostram notitiam, in nulla alia orbis Ecclesia reperitur. Sed in quantum mortalibus divina dispensatione revelatur arcanum, videtur nobis, quod idcirco hoc iudicium celestis ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat, & quam dispicienda sit temporalis vite gloria, in ipso gloria principatu, evidenter ostendat; quatenus dum præcipuum hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur, & arbor humani generis, dum cacumen ac verticem suum tam facile corruisse considerat, statu concussa formidinis, in quod undique ramusculis contremiscat.

B. Hanc Pontificatus brevitetatem diligenter imculcat D. Bernardus Epist. 237. ad Eugenium scribens: In omnibus operibus (inquit) memento te esse hominem, & timor ejus qui auferit spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quorum in libri Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspersi? Ipsi te prædecessores tui certissima & citissima decessione admonent; & modicum tempus dominatus eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Iugi proinde meditatione, inter hujus præsentis glorie blandimenta, memorare novissima tua: quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem, &c.

DISPUTATIO V.

De Sacris Ecclesie Conciliis.

U. Tomnes fidei regulæ explicentur, de Sacris Ecclesiæ Conciliis, eorumque in rebus fidei determinandis infallibilitate, superest nobis breviter disserendum. Unde sit

ARTICULUS I.

Virum Concilium generale, legitime congregatum, & celebratum, in determinando res fidei errare nequeat, subindeque sit regula infallibilis nostræ fidei?

§. I.

Quibusdam præmissis, Catholica veritas statuitur.

E. Suppono primò, Concilium sic definiti posse, Congregatio primorum Ecclesiæ sub uno certo capite, ad controversias fidei definiendas, legesque universales ad totius Ecclesiæ mores spectantes condendas. Dicitur Congregatio primorum, quia ad Concilium vocari non debent, nisi principales Ecclesiæ prælati, cujusmodi sunt Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ, qui soli in eo jus suffragii habent; Abbates verò & Generales Religionum, non nisi ex privilegio & concessione Pontificum illi intersunt. Vocantur etiam ad illud Theologi & Doctores, non ad ferendum suffragium, sed ad disputandum & causas fidei examinandas. Subditur sub uno capite, quia non est Concilium, sed conciliabulum, quod non est congregatum sub uno certo capite & Pastore Ecclesiæ. Additur ad controversias fidei definiendas, legesque universales condendas: quibus verbis in-